



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

V. De obstetricibus, aut baptizantibus in necessitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

io Interpretum Concilii, addens Episcopum non posse concedere licentiã, ut duo viri loco viri & mulieris aliquem baptizatum suscipiant.

Corrigendum ergo hic *Parochiale Leodiense fol. 6.* agens de Patrinis, ubi insinuat duos susceptores, ubi nulla susceprix, vel duas susceptrices, ubi nullus susceptor, posse admitti.

Sed quid si plures de facto sic admisis fuerint, contrahunt-ne cognationẽ? Respondet Congregatio. Si plures suscipiant, omnes contrahere cognationẽ, si non constat quis primo tetigerit, & plures fuerint electi, & æquẽ principaliter admissi & designati. Si enim unũ tantũ designat Parochus, & nihilominus plures tangant, illi non contrahũt, sed is solus qui designatur à Parocho.

CAPUT V.

De obstetricibus, aut baptizantibus in necessitate.

I. **Q**UAERO. *An qua ex officio sunt obstetrices, teneantur scire formam baptismi & modum baptizandi?*

Respondet Suarez, *in rigore non inveniri*

X 5

hac

hac de re præceptum, nec Ecclesiasticum, nec naturale : quia ex vi sui muneris non obligatur obstetrix ad curandam salutem animæ pueri, sed solum ad cooperandum natiuitati ejus corporali. Hanc sententiam sequitur etiam. Diana 2. p. tract. 1. Miscell. resol. 46.

Sed scimus præceptum esse passim Pastoribus in Synodalibus decretis, ut advigilent ne ad officium obstetricandi deputentur, nisi quæ prius ab ipsis examinatae sint & instructæ de forma & modo baptizandi vernaculâ salutem linguâ; quia sæpissimè casus contingit, quo succurrere teneantur pueris in periculo mortis & partu difficili, ita ut nec per personas alias id ritè peragi possit. Quapropter tunc ad baptizandum ex charitate & obedientia tenentur: & præceptum quod involvit Pastores ut eas instruant, indirectè etiam eas concernit ut formam & baptizandi ritum essentialem ediscant.

Quare iterum hic monendos Pastores existimo, ut huic instructioni diligentem navant operam; quia mul-

ni errores per crassam ignorantiam
possunt hic intercurrere, ut multis in
locis longâ praxi adverti.

Multæ reperiuntur baptizasse sola
hac forma: *In nomine Patris, & Filii, &
Spiritus sancti* non addendo, *Ego te ba-
ptizo*. Scio & ubi contigerit, pericli-
tante puero, & partem corporis extra
uterum protensam habente, dum il-
lam partem utraque manu teneret ob-
stetrix, aliam mulierem aquam fudif-
se, ipsa interim obstetrice formam
pronunciante. Existimabantq; omnia
ritè esse peracta, cum tamen hic bap-
tismus vel nullus sit, vel omninò du-
biius iudicio Theologorum. Denique
in Jubilæo venit ad me mulier quæ-
dam extranea pœnitentiæ gratia, quæ
munere obstetricis multis annis fun-
cta fuerat; cumque eam examinarem
circa hoc munus, reperi quod quoties
baptizarat, toties formam tertio re-
petierat super puero; putans quod si-
cut ter aspergitur puer aquâ, ita etiam
ter formam repetendam esse. Altera
quoque mihi declaravit, quod quin-
quies

quies eundem puerum baptizasset, ut tantò certior foret de baptismo. Hac rememoro Pastoribus ruri agentibus, ut ignorantia similiū muliercularū obstetricantium diligenti curâ succurrant, ne in ipsos redundent defectus nonnulli graves.

2. QUÆRO. *An baptizati ab obstetricibus sint iterum sub conditione baptizandi, si post examen non inveniuntur malè baptizasse?* Resp. cum hic diversæ opiniones inter recentiores Theologos reperiantur, & in Diœcesibus Manualia diversimodè ordinent, rectè quemlibet facturum qui se sui Episcopi ordinationi conformarit. Ego diligenter examinatâ obstetrice, & mulieribus præsentibus, si invenio eam rectè formam scire; & si mulieres præsentēs firmiter asserant nihil tumultuarie factum, sed formam rite, cum ipsa aqua abluciente, pronunciatâ fuisse, nõ rebaptiso; quia ordinat nostrum *Manuale Leodiense* non rebaptisandum. Allegant aliqui inter obstetrices repertas fuisse sagas sine intentione baptizandi.

tizan-

tizantes, sed Dæmoni potius voventes pueros. Resp. hoc non esse sufficiens fundamentum ad rebaptizandum universim baptizatos à mulieribus. Nā etiam inventi sunt Sacerdotes similes, magiæque addicti, de quorum possit intentione dubitari. Nec tamen idē baptismus ordinariè repetitur, etiam à flagitiosissimis datus Sufficit hic mortali quadam certitudine de baptismo ritè collato judicare Certè in *Italia, Sicilia,* & alibi, non repeti baptismū obstetricū, testatur *Dian. s. p. tr. 13. Res. 86.*

3. *QUAERO. An baptisans in necessitate contrahat cognationem?* Casus hic novissimè accidit. *Quadam mulier abortum passa est ob febrim, ob quam etiam mortua est; cum autem fœtus adhuc aliquid haberet vitæ, vicina mulier illum baptizavit, quia sciebat formam baptismi, & inter assistentes nulla erat magis hac in re experta. Interim vir prædefunctæ mulieris jam viduus huic etiam vidua cupit jungi matrimonio. Quæritur an possit?* Resp. non posse sine dispensatione; quia ex baptismo, etiam in ne-

cessitate dato, oritur cognatio spiritualis, impediens matrimonium inter Patrem baptizati & mulierem baptizantem. Et licet hac de re non cogitavit mulier baptizans, & non habuerit nisi intentionem subveniendi ex charitate proli periclitanti, ignara talis impedimenti; tamen ubi postea rescit, non potest cum Patre proli maritari.

Sed quaeritur, *an Episcopus possit dispensare hic?* Resp. (quicquid sit universim de Episcopis) dispensationem hanc concedi ab Episcopo in Dicecesi nostra *Leodiensi*; an verò id fiat jure communi, an jure & privilegio, sive consuetudine particulari hujus Episcopatus, non disputo.

4. *QUAERO An si Pater vel Mater vel necessitate prolem baptizet, cognatio spiritualis oriatur inter eos?* R. oriri; sed cum illa superveniat matrimonio jam contracto, non impedit illud; & secundum probabilissimum multorum sententiam non impedit baptizantem à petendo debito conjugali, si id necessitate factum fuerit; quia subveniēs
necessita-

necessitatem patienti non debet adeo gravi pœnâ puniri. Aliud foret si baptizarit Pater vel Mater, cum alii astantes baptizare poterant. Tunc enim multi Theologi, quos citat & seq. Sanchez. l. 6. de matr. disp. 36. n. 7. putant baptizantem esse privatum jure petendi debitum. Sunt verò aliqui qui contrariū docent, & dicunt; quod licet culpa hic interveniat, tamen talem pœnam ex nullo textu probari. Ita Connich. & alii citati apud Dian. 3. p. resol. 3. tr. 4.

Ex his resolve casum qui novissimè accedit de quo & Pastor quidam me consuluit. Contigit virum litteratum suam prolem baptizare, cum non esset necessitas; & si qua foret, aderat tamen obstetrix sciens baptizare; habitabat & in eadem domo Pastor loci, qui facillimè poterat vocari. Quid igitur dicendum hic? Resp. illum peccasse graviter tunc baptizando, & plerosque Doctores judicaturos eum debere abstinere à petendo debito conjugali, nisi dispēsetur; & hæc est securior sententia. Alii tamen cum Diana eum excusarent, non à culpa

culpa

culpa, sed ab hac pœna, ut dixi; & hanc etiam sententiam non improbabilem iudicat Layman, l. 5. tract. 10. p. 4. c. 8.

Sed vide ulterius. Ille Pater postmodum urget Pastorem, ut non solum suppleat caremonias, sed etiam repetat baptismum dicens se timere ne quis forte defectus intervenerit: hoc autem petebat, quia Nobilem quemdam advocarat in Patrimum, ut sic ille non solum in caremoniis Patrinus esse videretur, sed etiam in baptismo, ut postea satis animadversum fuit. Quid igitur hic dicendum? Resp. & in hoc graviter peccasse, quia cum non esset ignarus, sed sciret baptismum à se administratum sine errore substantiali, non debebat ob considerationes istas humanas urgere Pastorem ut baptismus repeteretur etiam sub conditione. Nec Pastor debebat ita facile rebaptizare, nisi re mature ponderatâ, ut sciretur quis defectus, intervenire potuisset diligenti omninò examine præmisso. Licet verò peccare potuerit Pastor nimis facile ejus petitioni acquiescendo, nec satis examinando ne-

gotii hujus pondus; non tamen incurrit irregularitatem (de qua cum me confuleret anxius erat) si vel solâ mente conditionem conceperit dum rebaptizavit. *Si tu non es baptizatus, &c.* quia tunc solum incurritur irregularitas, dum est rebaptizatio simpliciter, sive intentio dandi baptismum hominiam baptizato, ut supra diximus.

Nota quoque, illum Nobilem non fuisse verè Patrimum, quandoquidem, ut suppono, validus antea fuisset baptismus; & ipse solum in cæremoniis adhibitus est; nã illa rebaptizatio sub conditione non fecit Sacramentum. Est autem sententia communis Theologorum, eum qui tenet in cæremoniis tantum, non contrahere cognationem. Adde, quod etiam non contrahatur, si quis teneat in baptismo privato domi dato infantem, etiam ut Patrimum: quia secundum mentem multorum Doctorum, cognatio illa spiritalis non oritur nisi ex baptismo publico & solemni. *Vide citatos pro hac sententia multos apud Sanchez de matrimo.*

trini.

*trim. l. 7. disp. 62. n. 15. & apud Dianam
p. 5. tract. 3. Resol. 7.*

Nota tamen, quod si quis in privato domestico baptismo tenuerit infantem ut Patrinus, & eâ quidem intentione, scribendus est in Registro Pastoralis; quia altera opinio, quæ dicit hunc esse verè Patrimum, etiam probabilis est, quam sequitur Suarez cum nonnullis Doctoribus. Quapropter hunc Registro inscribi mandat Synodus Mechliniensis.

Ulterius dum quis per Procuratorem suscipit, uterque scribendus est in Registro Pastoris; quia disputatur quis vere illorum sit Patrinus; quamvis probabilius sit eum qui Procuratorem constituit esse verè Patrimum & Susceptorem. *Adverte* tamè hoc habere locum quando verè alius suscipit nomine procuratorio. Sæpe autem contingit ut quis alium sibi substituat, non tamquam procuratorem, sed tamquã verum susceptorem, volens se ab onere susceptionis exolvere, & tantummodò munusculum mittere, ne ille quem

quem sibi substituit sumptu gravetur; quo casu substitutus ille, non autem substituens, Registro Pastoralis est inscribendus, quod quidem in praxi debent notare Parochi, & examinare.

5. *QUAERO. An ad Patrimi officium sit admittendus Hæreticus?* Resp. negativè; quia hæretici, cū in recta fide puerum instruere nequeant, sua se exolvere obligatione non possunt. Et hi eo etiam nomine rejiciendi sunt, quod nomina SS, in Ecclesia, celebrium, puta *Georgii, Francisci, Catharinae*, & aliorum pueris nolint imponi, asserentes eos fuisse idololatrias & Papistas. Certè & miraculo quandoque Deum Patrimos hæreticos rejecisse constat.

Certâ relatione didici in *Britannia*, inferiori in *Diœcesi Leonensi* intra *Landednacum* & *Montem Relaxum*, vulgò *Morlayk*, anno 1622. In Februario contigisse quod sequitur. Cū puella baptisandæ Patrimus hæreticus adhibitus foret, illeque nomen velle impunere, miraculosâ loquelâ infans, omnibus stupentibus, inclamavit,

Maria

Maria est nomen meum. Unde nec Patrinus ille admissus est, nec nomen quod optabat imponi. Solent autem ipsi nomina veteris testamenti imponere: è contra Ecclesia solet novi testamenti nomina imponere, ut ostendat prærogativam novæ legis supra legem *Mo ysis*, quæ ad perfectum non adduxit. Unde nec festa ferè decernit Sanctis antiqui testamenti, & rarò eorum nominibus utitur in baptismo ob eandem rationem.

An tamen quandoque possit permitti Patrinus hæreticus, urgentibus ex causis in locis, ubi passim converfantur Catholici cum Hæreticis, cum libertate indulta utrisque, ut fit in Germania & quibusdam Galliæ Provinciis; item an Catholici possint Hæreticorum ibidem filiis esse Patrini in eorum baptismo, Lutherano vel Calviniano more dato, disputat & resolvit Laym. l. 15. tr. 2. c. 28. Vide illum fusiùs ibi hæc tractantem ratione Nationis Germanicæ.

6. *QUAERO.* An nomen in baptismo

acce-

acceptum liceat mutare! Resp. Em Sa
 Verbo, Nomen, his verbis. Nomen sibi
 quemque posse mutare, excepto seruo, mo-
 do fiat sine fraude & alterius præjudi-
 cio, quidam ajunt: Ego ad tempus, & ex
 causa id posse puto; alioqui acceptum in
 baptismo non posse nisi forte in Confirma-
 tione. Hæc Em. Sa.

NOTA. Rituale Rom. postquam
 dixisset Baptismum oportere fieri per
 infusionem aquæ in modum crucis,
 subjungit: Vbi Baptismus fit per infu-
 sionem aquæ, cavendum est ne aqua ex
 infantis capite in fontem defluat, sed vel
 in Sacrarium baptisterii prope ipsum
 fontem extructum defluat; aut in aliquo
 vase adhuc usum parato recepta, in ip-
 sius Baptisterii vel Ecclesie Sacrarium
 effundatur. Quod quidem in his Pro-
 vinciiis non video usum receptum. Con-
 venientissimum tamen foret id intro-
 ducere.

Addit idem Rituale: Admitti non
 debent Patrini cujusvis Ordinis Regula-
 rei. Unde patet non solum arceri eos
 qui strictè Monachi dicuntur, sed et-
 jam

382 RESOL. PASTORAL.
jam Religiosos quoslibet; quod est cō-
tra nonnullos recentes Theologos.

TRACTATUS III.
RESOLUTIONES QUÆSTIO-
num & Casuum Pastoralium
DE CONFIRMATIONIS
Sacramento.

CAPUT I.

*De Materia hujus Sacramenti
& Forma.*

QUÆRO. *Quanam sit materia?*
Respo. 1. materiam remotam
esse Oleum cum Balsamo ab Episcopo
benedictum. Et quidem Balsamum
requiri de necessitate Sacramenti, at-
que etiam benedictionem Episcopa-
lem similiter esse de essentia, est com-
munior opinio Theologorum: quam-
vis non desint multi qui censeant Bal-
salmi mixtionem esse solum de præce-
pto. Si quæras, an Pontifex possit et-
iam committere hanc materiæ conse-
crationem simplici Sacerdoti? plerique
negant contra *Valentiam*.

Respo. 2. Materiam proximam esse
unctio-